



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

54. Moguntinus & Monasteriensis quanti amici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

*Limprechtus* inter Quatuor-Viros primus, quam & ipse, & potior pars gratam, ratamque habet. Plebs initiò quidem nec invita, sed paulò post ab aliis persuasa, non tam preces Civium, quam jura Civitatis quæri, tumultuans contradicit. Imperator metu præjudicij Cives eximit, ac severè mandat obsequèlam. Seditiosior interim populus *Limprechtum*, falsi insimulatum, carcere & morte, plures exilio multat. Cæsar arctiora & pœnas frustra comminans obstinatioem quotidie Civitatem demùm proscribit. Cumque sub Octobrem anni proximè evoluti, Fecialis de more Imperij proscriptionem denunciaret, & is insuper, spretâ Cæsaris Majestate, inter verba & verbera contumeliosè habetur.

*Joannes Philippus*, qui veterem Ecclesiæ Moguntinensis gloriam tot nuper bellis propè obsoletam indices renovabat, certus jam haud alio quam armorum rigore posse rem confici, cum *Christophoro Bernardo*, de redigendâ in ordinem *Erphordia*, sub id tempus Ratisbonæ pluries egit. Erant ij duo, si qui alij per Germaniam, mutuâ fide, amicitiaque Principes conjunctissimi. Hanc uterque necessitudinem continuatis Legationibus, communicatis consiliis, collatis viribus sanctè observabat. Decretam tunc obsidionem, ratus Elector nunc exequi opportunum esse, Confœderatorum opem implorat.

Ludo-

54.  
Moguntinus &  
Mona-  
steriensis  
quanti  
amici.